



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

XX. De Jure conciliandi & dirimendi matrimonia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

CAP. XX.

De Jure in conciliandis & dirimendis
matrimonii.

I.

Nuptias apud veteres Christianos non sine sacerdotis, qualiscunque ille fuerit, præsentia contractas & benedictione confirmatas fuisse, plurima sunt in antiquis rerum Ecclesiasticarum monumentis, quæ svadent. Vetusissimum, ni fallor, testimonium peti solet ex epistolâ Ignatii ad Polycarpum, si modo genuina ea est, de quâ adhuc magna inter eruditos extat contentio. Πρέπει ἢ inquit ille τοῖς γαμήσι καὶ τῆς γαμήσεως μετὰ γνώμης ἢ Ἐπισκόπου πλὴν ἑνώσειν πιστεύει. Decet autem ducentes & ductas cum sententiâ Episcopi unionem facere, ut sit secundum dominum, & non secundum concupiscentiam. Non placet, quod asserit Johannes Seldenus lib. 2. de Uxor. Hebr. cap. 28. sensum istorum verborum hunc esse, nuptias ita ineundas, ut juri divino, cujus custodes & Interpretes Episcopi seu ministri sacri habiti, non omninò adversarentur. Plus enim verò innuunt verba μετὰ γνώμης τῆ Ἐπισκόπου jungi, quàm contrahere nuptias juri divino non ad veritas. Quemadmodum enim, qui non exploratâ alicujus, quem consulere oportuit sententiâ aliquid facit, κατὰ γνώμην αὐτοῦ facere dicitur: ita è contrario κατὰ γνώμης facit, qui sententiam, consilium & suffragium ejus explorat & expectat. Nec negare tamen potest Seldenus, verbis mox sequentibus, sacrorum antistitum in Christianorum nuptiis ministerii usus qualemcunque mentionem haberi apud Tertullianum. Cujus & ipsius testimonia mox adducam, si priùs dixerò, verba Ignatii ad ἱερολογίων sacerdotalem minùs commodè applicari, & ideò præcipuè τὴν γνώμην ἢ Ἐπισκόπου requisitam fuisse, ut, si quod fortè ex cognitione impedimentum subesset, id ab Episcopo significaretur, quanquam verisimile sit, adjectam fuisse τῇ γνώμῃ suæ ab Episcopo benedictionem aliquam aut brevem saltem gratulationem.

II. Apud Tertullianum plurima talia occurrunt, quæ de personarum Ecclesiasticarum ad nuptias Christianorum adhibitione sententias continent, quanquam illæ non satis claræ & perspicuæ omnibus videantur. In lib. de pudicitia cap. 4. hæc habentur verba: Ideò penes nos occultæ quoque conjunctiones, id est, non priùs apud Ecclesiam professæ juxta mæchiam & fornicationem judicari periclitantur, nec inde confertæ obtentu matrimonii crimen eludant. Non malè professionem illam explicat Nicolaus Rigaltius de oblati Ecclesie

clesiæ per presbyteros fidelibus conjugandis, ut communibus votis conjugio benediceretur. Eoque trahit verba alia ejusdem Tertulliani ex lib. 2. ad uxorem cap. 8. Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, (svadentibus scilicet vel jungentibus & copulantibus Ecclesiæ præpositis,) Et confirmat oblatio, (dum conjugium contractum reliquis fidelibus significatur & communibus votis excipitur) Et obsignat benedictio (cum additur *eu Phis*, & gratulatio, piæque reliquorum fidelium, sed præcipuè Ecclesiasticarum personarum precatio) *angeli renunciant*, pater rato habet, nam nec in terris filii sine consensu patrum rectè Et jure nubunt. Referri huc potest adhuc alius ejusdem Tertulliani locus in lib. de monogamia. c. 11. Ut igitur in Domino nubas secundum legem Et Apostolum, si tamen vel hoc curas, qualis es id matrimonium postulans, quod eis à quibus postulas, non licet habere, ab Episcopo monogamo, à presbyteris Et diaconis ejusdem sacramenti, à viduis, quarum se etiam in te recusasti? Et illi planè sic dabunt Viros Et Uxores, quomodo buccellas. Hoc enim est apud illos, omni petenti te dabis. Et conjungent vos in Ecclesia virgine, Iunius Christi unicam sponsam Et. Quæ verba, etsi securitas nuptias acriter perstringant, hoc tamen ostendunt, quascunque nuptias non sine Ecclesiasticarum personarum præscitu aut consensu & præsentia contractas fuisse.

III. Apud Ambrosium similis aliquis de benedictione sacerdotali extat locus, lib. 9. epist. 70. qui ostendit etiam in Italiâ eam in ulu fuisse. Cum ipsum, ait, conjugium velamine sacerdotali Et benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest conjugium dici, ubi non est concordia? Dum per benedictionem sanctificari ait conjugium, non simplicem gratulationem intelligit, sed adjunctos simul preces, quibus conjuges separantur quasi & segregantur ab aliis carnali concupiscentiâ affectis hominibus, ut conjugium hoc placeat DEO, & largissimâ benedictione coronetur. Pari modo Synesius Episcopus Cyrenes epist. 105. quâ excusationes suas, cur Episcopatum deprecari mallet, exponit, inter alia ait: *Mibi DEUS ipse Et lex Et sacra Theophili manus Uxorem dedit Et*, Quâ eadem ratione Gregorius Nazianzenus epist. 57. cum dixisset, Olympiadis nuptiis plurimos adfuisse Episcopos, de se mox subjungit: *Nam Et ego animo Et voluntate adsum, simulq; festum celebros, juvenilesq; dexterâs inter se jungo, atq; utraq; DEI manui.* Jungere se ait nubentium dexterâs, sed ita, ut utraq; simul per preces junctæ intelligantur manui DEI, quæ manus ideò necessaria est, ut per eam constet de differentia, quæ est inter conjugia fidelium & infidelium. Simul verò ex istis Gregorii verbis colligo, non ab uno tantum Episcopo benedictiones istas peractas fuisse, sed à singulis, quibus interesse nuptiis contigisset, adeoque fuisse hoc ferè proprium Episcoporum officium. Quanta autem benedictioni illi tributa fuerit reverentia, docet nos Concilii Carthaginensis IV. canon. 3. quem

quem refert Gratianus *dist. 23. c. ult. Sc. sponsus 30. q. 5.* Sponsus & sponsa cum benedicendi sunt à sacerdote à parentibus suis vel paranymphis offerantur: qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentiâ ipsius benedictionis in virginitate permaneant. Quæ omnia ostendunt, benedictionem sacerdotalem ab antiquissimis inde Christianæ Ecclesiæ temporibus in usu fuisse. Quanquam asserere nolim, usurpatas eas in facie Ecclesiæ totius, cum domi illæ peragi potuerint.

IV. Sed nec admittere quidem vult Johannes Seldenus *de Uxore Hebr. lib. 2. cap. 28.* primis illis Christianæ Ecclesiæ seculis aut necessario aut ex more contractui nuptiali ministrum sacrum interfuisse, aut quid aliud ad ipsas nuptias attinens præstitisse. Et *cap. 29.* confidenter asserit, ante Leonem Imperatorem seu annum Christi nongentesimum aut circiter nuptiis Christianorum non fuisse necessariam habitam vel benedictionem sacram, vel aliquam aliam ministri sacri actionem. Ego verò etsi deficiat fortè necessitas, quæ ex præcepto fuit, non video, qui non aliqua ex allegatis testimoniis colligi possit consuetudo necessitatem æquè stringentem inducens, quod ea non minùs quàm lex scripta vim obligandi habeat. *l. 32. §. 1. ff. de legib.* Quicquid enim sit de authenticâ epistolarum Ignatianarum, esse tamen eas inter antiquissima literarum monumenta referendas haud frustra existimo. Tertulliani autem & reliquorum testimonia morem receptum haud obscure produunt. Et est sanè hæc quotidiana Ecclesiæ praxis, ut quæ speciem devotianis aut pietatis gerunt, & ad τὰς ἐπισημοσύνην faciunt, sicubi semel usurpata fuerint, facile deinceps in consuetudinem abeant, nec libero hominum arbitrio relinquuntur amplius, utrum adhibere ea velint, an minùs. Nec tamen tanta est benedictionis sacerdotalis necessitas, ut in eâ conjugii formam essentialem consistere statuendum sit, quanquam negari nequeat, moribus hodiernis conjugium eâ omisâ non esse legitimum.

V. Sanè ætate Justiniani *ἱερολογίαν* talem non fuisse in usu, colligi utcunque poterit ex *Novellâ 74. cap. 4.* ubi præmittit Imperator, ex constitutione suâ, quâ nuptias etiam sine dotalibus instrumentis solo affectu validas & ratas haberi debere præceperat, secutam fuisse hanc corruptelam, ut concubinatus sæpenumero pro justo matrimonio vendicaretur, productis scil. testibus, qui mentirentur, domini & dominæ nomine sese compellasse invicem, qui solius consuetudinis causâ convenerant, ut hinc matrimonialis conjunctio probari posset. Id verò argumentum minùs sufficiens esse ad inferendum conjugium statuit Justinianus, novasque figuras proposuit, quibus copulari legitime maritus Uxori, & liberi suscepti legitimorum numero adscribi possent. Equidem si tum temporis benedictio sacerdotalis usurpata fuisset, ex solâ nominum domini & dominæ confusione frustra quaeri.

qualitus fuisset color initi matrimonii, nec ea de re testes producti quicquam probare potuissent, sed potissima tum probatio ex accessione *ἱερολογίας* peti debuisset. Nec enim de affectu maritali testimonium ferre potuisset quisquam firmum & validum magis, præter eum, qui affectum illum profitentibus benedixit.

VI. Primus eâ de re legem scripsisse videtur Leo Imperator cognomento Philosophus, qui in *novellâ suâ 89.* his verbis sanctionem edidit: *Quemadmodum adhibitis sacris deprecationibus adoptionem perfici præcepimus: sic sanè etiam sacra benedictionis testimonio matrimonia confirmari jubemus. Adeo. ut si qui citra hanc matrimonium ineant, id ne ab initio quidem ita dici, neque illos in vite illâ consuetudine matrimonii jure potiri velimus. Nihil enim inter cœlibatum & matrimonium, quod reprehendi non debeat, medium invenias &c.* Ex quâ constitutione colligo, eâ posteriorem esse ejusdem novellam 74. quâ prohibitum est, ne ante legitimum matrimonii tempus futuris conjugibus adhuc impuberibus benedicatur; nisi dicere velis, indifferenter tum habitam, & pro lubitu adhibitam benedictionem sacerdotalem, ut plurimum tamen & ferè ut necessariam usurpatam fuisse in sponsalibus impuberum. Post Leonem Alexius Comnenus speciali constitutione, quæ refertur à Leunclavio in *jure Græco-Rom. lib. 2.* jusfit, non in nuptiis tantum, sed in sponsalibus etiam sacras preces concipi & adjungi, utve inter sponsalia & nuptias intervallum aliquod temporis intercederet.

VII. Fuit verò *ἱερολογίας* hæc ceremonia ejusque officium sacerdotibus omnibus commune, non Episcoporum proprium, quanquam, quod de omnibus presbyterorum actionibus creberime inculcare solet in epistolis suis Ignatius, non fieri ea debeat Episcopo invito. Quod si qua intra gradus prohibitos contracta aut contrahenda fuissent sponsalia, ad Episcopum relationem fieri oportebat, qui de validitate aut nullitate eorum cognoscebat. Extant adhuc plurima in *jure Orientali & Basilicis libris Patriarcharum & Episcoporum* responsa de gradibus prohibitis, & quousque sibi consanguinitate aut affinitate junctis nuptias celebrare liceat. Similia inventiuntur in *jure Canonico* passim, & epistolis Episcoporum aliorum. Et ex hæc ratione puto invitatos olim & adhibitos fuisse ad sponsalium solennia ministros Ecclesiæ, non tantum ut propter reverentiam eis debitam graviter & honestè peragerentur omnia, quæ ad iniciandos novos sponfos facerent; sed etiam quàm maximè, ut si quod impedimentum subesset, per quod illi matrimonium contrahere prohiberentur, id à præfente Ecclesiæ ministro examinaretur, & pro re natâ vel discuteretur, vel pleniori Episcopi judicio reservaretur. Quò eodem pertinet, quod noluerint Christiani jam olim sponsalia simul & nuptias celebrari, sed intermedium aliquod temporis spaciū observari jusserint. Hunc enim ejus rei

Y y y

finem

finem esse docet Constitutio Alexii Comneni Imperatoris antea allata his verbis: *Sponsalia primùm cum sacro precum carmine, cumque solemnibus observationibus ad ea pertinentibus, arrhâ videlicet, ac grato sponsis osculo, peragantur; atque ita vel exiguo, vel longiusculo temporis spacio, prout ipsis contrahentibus visum fuerit, interjecto, citra recusationem legitimas quoque nuptias succedere volumus, nec in idem tempus, puta in unum diem vel horam quoque ceu sepius accidit, rerum magnoperè diversarum effectus concurrere. Sic enim ordine quodam in nuptiis locum habente, lex prisca servabitur, quæ prohibitas personas recensuit, neque permittit, ut ea cum repudiatâ persona proxima sponsa in matrimonium coeant &c.* Eodem pertinent denuntiationes desponsatorum ex suggestu Ecclesiastico faciendæ, de quibus suo loco.

VIII. Par & fortè etiam major erat autoritas Episcoporum in matrimoniis dirimendis. Apud Gratianum *c. seculares 33. q. 2.* invenitur canon, quem ille tribuit Concilio cuidam Africano, rectius verò vindicatur Concilio Agathensi. Id namque *can. 25.* hunc in modum decrevit: *Seculares qui conjugale consortium culpâ graviore dimittunt, vel etiam dimiserunt, & nullas causas discidii probabiliter proponentes, propterea sua matrimonia dimittunt, ut aut illicita, aut aliena præsumant: si antequam apud Episcopos comprovinciales discidii causas dixerint, & prius uxores, quam iudicio damnentur abjecerint, à communione Ecclesie, & sancto populi cœtu pro eo quod fidem & conjugia maculant, excludantur.* Tales igitur de divortiis & repudiis causæ in Conciliis provincialibus examinabantur, quod & suo tempore observari voluit Alexander II. apud eundem Gratianum *c. multorum 35. q. 6.* *Multorum relatione cognovimus, te propriam velle abjicere uxorem & adherere alteri, prætendentem consanguinitatis occasionem; unde Apostolicâ auctoritate interdicens mandamus tibi, ut hanc, quam nunc habes, uxorem nullatenus præsumas dimittere, vel aliam ducere, donec apud Episcoporum religiosorum Concilium causam justam examinaveris.*

IX. Ut autem veteres quidam plus justo difficiliore fuisset videntur & severiores in quorundam connubiis, ne contraherentur, impediendis: ita vicissim aliquando fuere indulgentiores in dissolvendis. Quam enim multas quamque leves divortiorum causas reliquerint inter Christianos, vix quisquam erit, qui in veterum scriptis exercitatus id nesciat. Refert Constantinus M. Imp. quæ ad sua usque tempora justæ divortiorum causæ fuerint, in *l. 1. C. Theod. de repud.* Nempe divortium facere poterat Uxor, si maritus ebriosus, si aleator, si muliercularius, h. e. adfectator mulierum fuisset; Maritus vero, si ex quâcunque aliâ leviori causâ uxor in eum peccasset aut adversa ei fuisset, ita ut propter leve quoque jurgium repudiari posset. Sed Imperator ipse causas istas admodum restrinxit, resistente tamen adhuc sententiâ Salvatoris nostri, unicam adulterium ju-
stam

Itam divortii causam decernentis. Permisit enim Constantinus, à femina mitti repudium marito posse, si homicidam, vel medicamentarium h. e. veneficum, vel sepulchrorum dissolutorem maritum suum esse probaverit; à marito verò repudiari posse Uxorem, si mœcham eam, vel medicamentariam, vel conciliatricem h. e. lenam se præbuerit. Sed neque hæc quidem lege contundi & coarctari potuit divortiorum levitas. Conqueritur enim Asterius Amasæ præsul^s, qui circa annum CCCC. homiliam, de quæstione, *an liceat dimittere Uxorem suam quâcunque ex causâ*, habuit, quantùm temporis adhuc fuerit divortiorum licentia. Maritos ait velut mulierum institores Uxores ceu vestes subinde mutasse, & thalamos tam facile alios sibi fecisse, atque ergasteria in nundinis. Imò verò solo consensu aut contrariâ voluntate sub ipsis Imperatoribus Christianis matrimonia solvere licuisse, ostendunt constitutiones Imperatorum, quæ sub *lit. C. de repud.* supersunt.

X. In foro tamen Ecclesiastico haud paulo restrictior fuit licentia divortiorum. In Concilio Venetico *can. 2.* secundum ductum Scripturæ Sacræ sola excepta fuit fornicationis causa. *Eos qui relictis uxoribus suis, sicut in Evangelio dicitur, exceptâ causâ fornicationis sine adulterii probatione alias duxerint, statuimus à communione similiter arcendos: ne per indulgentiam nostram prætermissa peccata alios ad licentiam erroris invitent.* Sic & in Concilio Suesionensi *c. 9.* *Nec marito vivente suam mulierem alius accipiat, nec mulier vivente suo viro alium accipiat: quia maritus mulierem suam non debet dimittere, excepto casu fornicationis deprehense.* Unde ipsi etiam Episcopi haud paulo rigidiores extiterunt in examinandis causis & permittendis novis sponsalibus. Extat apud Fulbertum Episcopum Carnotensem epistola 51. quâ Rothomagensium Archipræsulem certiore reddidit, de marito, à quo propter sævitiam uxor secesserat. *Procacitas G. inquit, cujus mihi mentionem fecistis, satis superque fatigavit me de novis connubiis expetendis; sed ego semper obstiti dicens, non licere ei suâ Uxore vivente alteram usurpare. Nunc ergo tandem rogavit me seu callide, sive simpliciter, ut sibi aut Uxorem suam fugitivam redderem, aut eam, si reniteretur, excommunicarem. Alioquin diceret, quod ego & illa faceremus eum mœchari.* -- G. autem sæpe mittit ad me licentiam ineundi connubii novi, petens illam se gurgisse, (h. e. deseruisse,) suamque pecuniam recepisse, licet verè protestans. Ego verò interdico ei licentiam istam, donec Uxor ejus aut monacha facta sit, aut defuncta &c.